Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus de decem praeceptis - Cod. Aug. pap. 51

Henricus <de Frimaria>

[Reichenau], [14. Jahrh.]

Augustinus: de elevacione anime in Deum

urn:nbn:de:bsz:31-87058

Visual Library

Beatus augustinus hortatur nos ad studium
sacre scripture et incipit dicens Ro-
go vos discite sacram scripturam sepe legi-
te quia dulcior est melle forcior vino
lenior oleo sublimior auro Perpetue deum
prouocat diligentibus inuitat corda illuminat
lingwam rectificat consciam probat animam
sanctificat fidem roborat dyabolum rei-
cit peccatum punit animas frigidas cale-
facit lumen solis ostendit tenebras
ignorancie expellit tristiciam seculi
extingwit leticiam sancti spiritus accendit
sompnolentos excitat ocGiosos in
crepat qui hanc diligit et diligenter
eius legem impleuerit in regno celorum
maximus vocabitur hec ille

De eleuacione anime in deum

Gradus est in eleuacione anime ad deum
secundum diuersitatem status subiecti et
diuersitatem medii per quod eleuatur Diuersitas
status subiecti quadruplex est eorum
enim qui eleuantur ad videndum alii sunt
in statu vie alii preter statum vie alii
supra statum vie et iuxta statum patrie alii
in statu patrie Illi qui eleuantur per modum
vie vident per speculum in enigmate et
faciunt v gradus primus gradus est
videre per vestigium in creaturis Secundus
per ymaginem in anima Tercius fide in
formi Quartus in fide formata Quintus
contemplacionum Illi qui vident preter statum
vie vident per speculum in lumine et
faciunt quattuor gradus primus est
visio prophetarum Secundus moysi facie ad
faciem de quo dicitur in libro numeri Quod
loquebatur ei deus non sicut in prophetis sed
ore ad os sicut loquitur amicus amico
Tercius est visio iohannis in pectore domini
Quia transcendit omnem nebulam quoniam omnis
terra et peruenit ad limpidum celum
scilicet deitatis claritatem Ita augustinus
deitatis potenciam limpidius conte-
platus ceteris cum deo ad oculum volans
celestis sapiencie haustum de diuini pecto-
ris fonte limpidius ceteris potaui-
uit quia intellectus respectum aliorum
ewangelistarum Quartus gradus
est visio ade in statu innocencie
que fuit intellectus existens sine
omni enigmate non tamen culpe sed
et pene et potenciam existentis
anime in corpore quodammodo et
sine omni fomite et tamen natura
non deteriorate per peccatum et ideo
est vltima in genere illo Illi qui
qui vident supra modum vident
sine speculo in lumine et faciunt
tres gradus Infimo gradu est
cognicio ade in sopore de quo
super illud Genesis Immisit deus soporem
in adam Glossa Extasis illa ad hoc
immissa est vt mens ade intrans
in sanctuarium dei nouissima in
telligeret principe angelice
curie Secundus gradus est raptus
Sicut vidit paulus de quo dicitur
in glossa ad chorin Quod apostolus vidit
deum in illa vita qua videndus est
in eternum Tercius gradus est
cognicio beate virginis in vna quod
omnes precedentes cogniciones tribus
gradibus supergreditur primus est
eleuata puritas qua excellit
omnem naturam Secundus est medii
eleuacionis in proporcionabilis quan
titas videlicet gracie plenitudo
que in ea tanta fuit quod in pura
creatura equalis esse non potuit
Tercius est solemnitatis caritatis
scilicet dei quod ea super omnem creaturam

dilexit et incomparabili caritate
eam sibi sociavit. Et ideo hec visio
eius super omnem visionem vie propinqu-
issima visioni patrie et non circa
contemptum advenit. Illi autem qui eleuantur
secundum statum patrie vident per speciem
et faciunt tres gradus. In primo
gradu est visio hominum animarum et corpore
glorificatorum de qua dicit Augustinus
hoc minime dubitandum est raptam
hominis mentem sensibus mentem post
mortem ipsa carne deposita videre
deum sicut vident angeli. Angeli non
vident ab omni corporali forma et neces-
se separatum cognoscunt. Anime glori-
ficate propter unionem anime ad cor-
pus est inferioris gradus. Et hoc
intelligendum est secundum quod ordinatur
natura ad naturam. Per meritum autem et gratiam
habent se ut excellentiam et excessum
in hac elevatione. Secundus gradus est
visio angelorum. Tercius gradus
visionis patrie est visio gloriosissime
semper virginis marie matris dei que super
omnes creaturas puras incom-
parabiliter et limpidissime
et propinquissime contemplatur maiesta-
tem dei ut pote super omnes choros
angelorum exaltata et ideo tres
ierarchias supergressa. Inquantum
a dexteris cum filio eius in potioribus
bonis collocata super omnes visio-
nes has est visio domini nostri ihesu
christi ~~que debetur ei racione~~ inquantum pos-
sumus tres gradus assignare. Prima
est visio domini nostri ihesu christi quam
habet per parvum comprehensoris quia inter
omnes comprehensores perfectissime
vidit deum et omnia ad suam

et suorum beatitudinem spectancia. Secundus
gradus est per parvum unionis qua
adhuc cognoscit excellencius anima
christi naturam divinam sibi unitam et omnia
ad mysterium passionis et resurrectio-
nis spectancia. Ultima est visio do-
mini ihesu christi que debetur ei racione divini-
tatis que est eadem que est visio totius
trinitatis respectu cuius omnes pro-
cessiones cognitiones et visiones sunt imperfecte. Omnis
creatura respectu creatoris caret
et respectu huius dicit Gregorius. Quod
essencia dei a nullo plene videbitur.
Et Ysidorus. Quod trinitas sibi soli
nota est et homini assumpto ~~[illegible]~~
Nunc ergo revertamur ad cognitionem
beatissime virginis propter quam hec omnia
sunt introducta. Concedimus ergo quod
beata virgo omnem cognitionem et modum
cognoscendi quam alia creatura habet
viatoris tribus videlicet gradibus super-
gressa et propter hoc simpliciter excellit
alias cognitiones omnium viatorum. In cogni-
tionis perfectione in habitu possessione ~~[illegible]~~ in modo cognoscendi cum
~~[illegible]~~ quiete et sine abstractione qualis est
in raptu perfectio autem cognitionis maior
debetur ei ~~[illegible]~~ racione maioris eleva-
cionis per habitus nobiliores et excellen-
ciores habitus possessionum dico quod
talis habitus est actus qualem habuit
paulus in raptu ad tempus et statim
post non habuit sed habitus omnium actu
cessavit talis in quibus generis habitum
sed perfectiorem beatissima virgo semper et
continue habuit ab eo quo primum ma-
ter dei facta fuit usque dum eundem habitum
in gloriosa cognitione secundum statum patrie
perfectum fuit. Et ita continuatio possessionis

possessionis debebatur ei racione perfectionis maioris qua habuit vite sanctitatis super omnes viatores motiva fuit et viva peccati extincti fomite irresuscitabiliter mortua fuit propter quod vita eius cum Christo in deo fuit abscondita semper et curie angelice presens intra sanctuarium dei habitavit Modus autem cognoscendi non semper fuit per modum abstraccionis vel stuporis vel extasis vel soporis hec enim contingunt propter excellenciam et improporcionabilitatem lucis ad intellectum illuminabilem et ut patet per illos in lumine corporali in transfiguracione domini qui ostendit eis claritatem simillimam claritati glorie dicitur enim quod petrus et qui cum eo erant gravati erant sompno ita ut videre non possent Unde dominus petrus dixit bonum est nos hic esse nesciens quid diceret Stupor enim circumdederat eum Similiter in lumine spirituali Unde paulus excellentiori visione stupescens dicit utrum in corpore vel extra corpus nescio deus scit hunc autem stuporem beatissima virgo non habuit cuius intellectus deiformior et illi luci proporcionabilior fuit Unde sicut eadem lux que est egris oculis odiosa sanis oculis est amabilis et sicut per eandem lucem clari oculi perfectius vident et sine perturbacione Est autem minus perfecte et cum perturbacione ita lux spiritualis que oculis pauli fuit improporcionabilis ideo raptum fecit cum stupore talis lux oculis beatissime virginis fuit proporcionabilis sine stupore cum delectacione et hoc debebatur ei racione puritatis et mundicie qua super paulum et omnes viatores mirabat improporcionabiliter et excellenter

De quatuor spiritualibus gradibus lege eos attente

Cum die quadam corporali manuum labore occupatus de spirituali hominis exercicio cogitare cepissem quatuor spirituales gradus animo cogitanti se subito obtulerunt Scilicet leccio meditacio oracio et contemplacio hec est scala claustralium qua de terra in celum sublevantur gradibus quidem distinctis paucis immensa tamen et incredibilis magnitudinis cuius tamen extrema pars innixa est superior vero nubes penetrat et secreta celorum rimatur Hii gradus sicut nominibus et numero sunt diversi in ordine et merito sunt distincti quorum proprietates et officia quid singula circa nos efficiant quomodo inter se differant et preemineant Si quis diligenter inspiciat quidquid laboris et studii impenderit in eis breve reputabit et facile pre utilitatis et dulcedinis magnitudine Est autem leccio sedula cum intencione animi scripturarum inspeccio Meditacio est studiosa et pura mentis accio occulte veritatis noticiam ductu proprie racionis investigans Oracio est devota cordis intencio pro bonis adipi-